NE SIT MAGISTRATVS,
qui ambit magistratum

DIc qua Tisiphone, quibus exagitata colubris,
Martia Romuleos Catilinæ tradere fasces
Gens potuit? pedibus pulsare repagula legum?
Iussit abesse focis patriis lex Tullia, si quis
Largitione petat miseræ suffragia plebis.
Nos patriam dabimus, patrio privamus honore,
Venetur quoties pulso Catilina pudore
Turpibus obsequiis populi suffragia vani.
Clamitat injustè factum Catilina, Senatum
Prouocat, incusat, lites sectatur iniquas:
Patroni vocem petimus, sic causa peracta.
Si modò concessas habeat Catilina secures,
Deferat & populus fasces, cellamque curulem,
Splendescant pulchræ virtutis signa futuræ,
Respuat & solitos mores, vitamque priorem:
Romanæ quibus est gentis delata potestas,
Quum teneant vrbis clavum, legesque ministrent,
Inclyta Roma ruit, remanet spes nulla salutis,
Si teneat scelerata manus, puppemque gubernet.
Nunc specimen Catilina tuum cernamus, honores
Vt tibi promeritos tribuat Mavortia Roma.
Nolumus Antonium, Leccam, comitem-ve Cethegũ.
Clodius extollet mœchos, Verresq; latrones:
Nec tua (sordescunt etenim) præconia posco,
Quod specimen Catilina tuũ? quid munera, sumptus?
Cerdonum captas animos, suffragia captas.
Hæc tua (si mores liceat narrare futuros)
Immundam redolent vitiorum cuncta cloacam.
Munera das, capies: perfringes vincula juris,
Imminet armorum rabies, si commoda cessent.
Quumque premat Ventosa fames, & vesceris aura,
Impatiens consortis eris, cogesque Metellum
Tu patrios lugere focos: tu linquere Romam
Vrbis Romanæ columen, quem rostra, Senatus,
Curia suspexit. Charæ præcordia matris
Te duce, Vipereæ sobolis funesta propago
Erodet; Tua sunt Virtutis signa futuræ.
Num renuis Catilina tuos dignoscere mores?
Clodius, heu, diro quem (sæva Megæra) veneno
Ambitus infecit, scelerum sentina, Penates
Ausurus violare suos, titulosque parentum:
Plebeios petiit vetitos (malesanus) honores:
Obtinet, abjecta quos affectauerat, arte:
Pompejum vexat, præclaros quosque lacessit,
Emungit cives censu, patriæque parentem
Mittit in exilium leges perrumpit, atrocem
Pisonem retinet, Virtutis signa futuræ
Sunt Catilina tuæ, mores, Vitamque figurant.

Romuleos igitur Catilinæ tradere fasces
Roma neget: censu captat suffragia plebis.

OMNIVM ANIMANTIVM FORMÆ
sunt essentiæ incorporeæ.

FVndit humus virides verno quas tempore fruges,
Vestaque quam tepido gesserit herba sinu,
Æquora fluctivagi sulcantes turgida pisces,
Aera quæ tenero remige pulsat avis,
Quas fera silva feras, pecudes quas devia lustra,
Quosque Pales lauti sustinet alma greges,
Corpora nunquid erunt? an habent sine corpore formas?
Sublimis valeant dogmata vana viri.
Quos satus Iapeto, diuino semine, Divûm
Finxit in effigiem, corpora sola putas?
Spiritibus tribuant proprias animantia formas:
Quos nequeas oculis cernere Lynceïs tuis.
Integra cõstituunt partes animantia bina:
Forma tenet primas, materiamque dolat.
Crassum non dubitas an sit substantia corpus,
Cum teneat primas forma, futura magis.
Quam licet inclusam fatear compage teneri
Corporea, corpus non tamen illa facit.
Corpora sola putem viventia? dicere formas
Corpora cui placeat, corpora sola putat.
Nec facerent binæ partes animantia, sed sic
Bellua, Planta, viri, corpora nuda forent.
Dic age quæ fabricant viventia corpora forma?
Hoc opus, hic animis convenit, omne, labor.
Quæ modò corporea rumpant cùm vincula sedis,
Et fugiant fragilis, terrea claustra domus:
Quæ rota, quæ flamma? figulus quis finxerit illas?
Nec rota, nec flammæ, nec figulina manus.
Nugacis valeant atomi figmenta cerebri:
Non moror insanos, stulta caterva vale.
Ardeat urenti Leucippi phasma calore:
Hipponis Geticum stringe rigore gelu.
Quam Cynici fingunt, tenues vanescat in auras.
Empedoclis foveat tabida membra cruor.
Cernis ut arborei frondescant vertice fœtus,
Ætheriaq; domus mœnia planta petat?
Quàm varios videas dignoscere Bruta colores?
Quamque sagax reperit dissita nare canis?
Percipit aure sonos liquida qui mergitur unda
Piscis, & ingratos respuit ore cibos.
Ferrea sola potest humanæ dicere formæ
Munera vox, peragat quamq; canenda magis.
Forma sed vnde venit, vigeant animantia cujus
Viribus? a cœlo vivida forma venit.
Nec tamen æternum tribuit Natura vigorem:
Si pereant plantæ, forma caduca perit:
Inq; nihil recidit brutorum forma: superstes
Mens licet æterno tempore viva manet.

Ergo suas retinent animantia singula formas
Corporis expertes, Bellua, Stirps, Homines.

CANTABRIGIÆ EX Officina *THOMÆ* THOMASII. *Iulij*. 5. 1585.